

2779

C O D I C E S

2780

V. fol. 152. minio *Nunc dicendum est de vicijis et aliquibus virtutibus eis oppositis.* Initium: *Notandum, quod ut Magister docet 2° Sententiarum &c.* Ejusdem *Nicolai de Dünkelspühl.* Vide *Indicem* et *edit. supracit.*

VI. fol. 254. fine titulo *Traetatus ejusd. Autoris de tribus Partibus Poenitentiae,* qui incipit: *Secundum Magistrum et doctores in 4° Sententiarum &c.* et habetur in *Indice* et in *edit. cit.* Ad calcem adhaeret ei *Tabula.*

DCCLXIII.

205 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 312. f. corrente calamo scriptus, olimque, ut in fronte legitur, *ad Monasterium sancti Georij in Herczogenburga* pertinens exhibet sequentia: I. Sermonem *ἀδελφότητος* de *circumcisione Servatoris,* qui incipit: *Maxima res hodierno die, Patres optimi, a me agenda est: et haud scio an fortassis omnium maxima, que nostris in ceremonijs atque in tota religione sit a majoribus nostris constituta &c.* Et finit: *partem etiam magnitudini rei, cui nulla potest par oratio reperiri, assignetis.* Cum Sermonem hunc a dictionis puritate commendandum aliae *Orationes* excipiant, quae *Gasparini Barzizii Bergomensis* sunt, nullus dubito et hunc *Gasparino* adscribendum esse, quamvis *Josephum Alex. Furietum* fugerit, cui *Opera Barziziorum Gasparini patris et Guiniforti filii Romae 1723. 4.* debemus.

II. fol. 3. Sequitur *Oratio in laudem Francisci Assistatis,* quae incipit: *Cum sepe numero, eximii patres ac domini prestantissimi, illos oratores &c.* et habetur in mox memorata *Gasparini* edit. p. 45.

III. fol. 4. p. 2. *Oratio ad Alexandrum V. P. M.* recens electum habita a *Lauro Bragadeno* Patrio Veneto, itaque anno 1409. hoc initio: *Cum omnes, qui tuam adeunt sanctitatem &c.* Extat in editis p. 15. sed observa, Codicem nostrum pro: *et nos ipsos fratres eius patruales,* legere: *et nos ipsos nepotes suos.* Pluries porro *Gasparinus* stilum suum aliis commodavit.

IV. fol. 5. p. 2. *Oratio ad Ferdinandum dictum Iustum Regem Siciliae,* cum ei an. 1412. *Aragoniae* corona accederet. Incipit: *Uellem hoc die, rex clarissime, ea mihi vis ingenii ac dicendi copia esset &c.* In editis p. 27.

V. fol. 6. p. 2. *Oratio ad Regem* quendam panegyrica et gratiarum actoria, maxime ob promotam oratoris literaria studia. Initium est: *Si recte a nostris maioribus Illustris. Rex et princeps serenissime olim comparatum fuit &c.* Regis hujus origo a *Pipino* et *Carolo M.* deducitur, a quibus *Orator* ad Avum ejus *Petrum,* et Patrem *Zachetum* reges delabatur. Praeterea bis eum *Insulae* dominari innuit. Est is itaque *Johannes* seu *Janus II. Cypri* rex, qui e *Francis* oriundus Avum habuit *Petrum I.* et Patrem *Zachetum,*

2781

H O M I L E T I C I.

2782

tum, id est, *Jacobum I.* regno-
que ab a. 1398. ad a. 1432.
praefuit. Cujus porro nomine *Gasparinus* orationem hanc scripserit,
colligi nequit; esse vero illius,
cum filius, tum alia ad *Regem*
hunc *Oratio*, quae in editis p. 33.
habetur, evincit.

VI. fol. 7. p. 2. Paulo ante
memorata *Oratio* ad *Regem Ia-*
num Cypri, in editis, ut dixi, p.
33. Incipit: *Tandem Rex serenif-*
sime, quod a superis immortalibus
&c. et est ejusdem cum superiore
argumenti.

VII. fol. 8. p. 2. *Oratio*, ut
fert Titulus in editis p. 36. ad
Pbilippum Mariam Vicecomitem
Mediolani ducem, laudum et gra-
tulationis plena, habita notante
Furietto ad finem an. 1412. Ejus
initium: *Quantum tue felicitati*
gratulor Illustrissime dux &c. Ad
calcem unice huic *Orationi* no-
men auctoris adscriptum est, scilicet:
Per magistrum Gasparinum
ad dominum Ducem Mediolani.

VIII. fol. 9. p. 2. *Oratio* ad *Se-*
natum Mediol. dum *Jacobus Caste-*
glorus (*Casteglionus*?) ejusque *Vi-*
carius Beltrandus Paganus prae-
tura decederent, sufficereturque
Maffeus Gambrea (*Gambara*?)
laudes horum *Virorum*, ipsius-
que *Ducis* complexa, cujus ini-
tium: *Quantas patres conscripti*
huic nostro serenissimo principi gra-
tias habeamus &c. Non innotuit
haec *Gasparini Oratio Furietto*,
uti nec sequens.

IX. fol. 10. p. 2. *Oratio* in
laudem Pbilosophiae, diversa a
tribus illis, quae in editis haben-

tur p. 40. 53. et 55. atque hujus
exordii: *Nisi vestra singularis ac*
egregia sapientia patres amplissimi
sepe alias et maxime hoc tempore
adhortata me fuisset &c. Praemis-
sam fuisse interpretationi *Aristo-*
telis de Anima exitus demonstrat:
In qua (de ratione *Animae* parte)
cum principem sicut multis aliis in
rebus aristotelem habeamus, a no-
biliori parte ejus ac meliori initium
faciens ea que a vobis percepit, pa-
tres doctissimi, grauiissimis iudiciis
vestris subiciam. Censu itaque inito
IV. hic habes perelegantes *Gasp.*
Barzizii Orationes nondum editas,
quas si iis *Opusculis*, quae III.
Mazzuchellius Scriptt. Ital. Vol.
II. P. 1. p. 502. ἀνεκδοτα enume-
rat, junxeris, dolebis fortasse,
Furietum in colligendo non plus
morae sibi indulfisse.

X. fol. 12. Sermo Anonymi
de venerabili *Sacramento* in illud
Pf. 110. Memoriam fecit mirabi-
lium suorum &c. qui incipit: *Tria*
sunt Preconia, ex quibus principes
solent principaliter commendari &c.
et finit: *cujus satietatis participes*
nos efficiat ihesus christus crucifixus
Amen. Barbarus, si cum praece-
dentibus *Gasparini* conferatur.

XI. fol. 23. Sermo Anonymi
de *Spiritu S.* ejusque a *Patre Fi-*
lioque processione, qui incipit:
Orandum est semper, beatissime
Pater, saluatore christianorum di-
cente, quoniam oportet semper ora-
re &c. In Concilio quodam habi-
tum fuisse, sequentia produnt:
Ut fiat ecclesie labentis renouatio
congregasti pater beatissime subli-
missimorum preclarissimorumque pre-
lato-

2783

C O D I C E S

2784

latorum presentem hunc cetum &c. Item Oratorem pro alio dixisse, frequentia: *sermonem promere iussus sum a percelebri et doctissimo domino, qui in hac celeberrima solemnitate predicaturus erat, sed pro totius ecclesie necessitatibus agens in remotis non valuit nunc adesse &c.* Cum porro in refellendis Graecorum erroribus versetur Oratio, Concilio Basileensi aut Florentino adsignandam arbitrator, quanquam in editis utriusque Actis nihil ejusmodi deprehendam. Ultima sunt: *Heu quam precipitem passa ruinam. Explicit.*

XII. fol. 25. p. 2. Recensus XXXVI. Errorum Graecorum hoc initio: *Nouerunt cuncti christiani et presertim sedis apostolice domini nostri pape Eugenii quarti beatissimi cortesani, quod infra scripti scilicet errores grecorum heretici falsi et iniqui &c.* Ad calcem: *Hec sunt errores grecorum heretici per me sacre theologie magistrum Andream Hispanum Megaren. pauperem episcopum abbreviati recollecti et plures alii ad exaltationem nostre fidei.* Meminit Nic. Antonius *Bibl. Hisp. Vet. L. X. c. 4. Tractatus copiosi contra quinquaginta Graecorum errores, ad cuius calcem Noster itidem audit pauper episcopus Megarensis O. S. B. Andreas Hispanus de Scobar;* unde *Recensum praesentem ejus velut επιτομην habeo.* Scriptus dicitur ille Bononiae 1437. *Andreae Gubernaculum Conciliorum* indicatum est *Cod. CCCLXVII.*

XIII. fol. 26. p. 2. Differtatio proluxa contra Graecorum Sen-

tentiam de *Processione Spiritus S.* cujus initium: *Recusant Greci confiteri cum latinorum ecclesia quod spiritus sanctus procedit a filio &c.* et finis: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Quod eis et nobis prestare dignetur ipse deus trinus et unus.* Videtur et haec Differtatio ad *Acta Concilii Ferrariae et Florentiae* celebrati pertinere, quanquam nec in *Edit. Concc.* nec in *Mansii Supplementis* reperiatur.

XIV. fol. 32. Sermones VIII. habiti: *Dom. II. Adventus. IV. Adventus. IV. Quadragesimae. De B. V. Maria. De aeterna Verbi divini Generatione. Feria quarta in capite Ieiunii. De beato Stephano. De Corpore Domini.* Non fallar, si hos quoque Sermones ad Patres Florentiae congregatos habitos fuisse adseruero; statim enim in primo sic loquitur Orator: *Audium tribuere beniuolum si dignabitur S. V. eximie Presul mundique stupor Papa (Eugeni) beatissime cum Reuerendissimorum patrum et dominorum aliorumque venerabilium virorum presenti celeberrimo conuentu &c.* et deinceps per omnes Papam adpellat additis in quinto etiam gloriosis mundi principibus. Familiae illum Carmelitanae fuisse locus ille *Serm. IV.* prodit: *Tales floruerunt nostri Ordinis fundatores pudicus belias castissimus belizeus, nonnulli eorum etiam successores &c.* Ita enim boni illi Viri ante *Papebrochium* tuto iactabant.

XV. fol. 48. p. 2. *Johannis Joffridi de luxouio Decretorum doctoris*

Floris prioris de Arbosio bisuntine dioc. oratio funebris pro Alberto Rege Romanorum florentie in generali ycomenico concilio habita incipit M. CCCC. XXXIX. die VII. mensis decembris. Delegit sibi Orator thema illud Tbren. 1. Egressus est a filia Sion omnis decolor eius, orationemque partitus magnitudinem primum iacturae ostendere, dein solatium Patribus adhibere conatus est. Orditur vero: Ego Patres Reuerendissimi amara uobis, luctuosa toti ecclesie, acerba bonis omnibus iam dicturus sum &c. atque haec ex succifis cum Alberto spebus pacandae Bohemiae, liberandae a Turcis Pannoniae, et componendae Ecclesiae repetit. Academiam etiam Vindobon. ita adtingit: Te enim diue cesar custos ingenii, virtutis et studiorum vnice fautor, te viennense studium tuum deplorat, vberes tibi iam profundit lacrimas. Vnum Albertum sublatum queritur, cuius auctoritate opibus beniuolentia coalescebat — in quo — duo prope milia Scolaesticorum consecraueras philosophie et bonis artibus &c. In parte altera erigere animos nititur a communi mortalitatis lege, a virtutibus Alberti et rebus gestis, unde ad laudes Stirpis Austriacae uniuersae, quam ad Jul. Caesarem reducit, tum ad laudes Sigismundi foceri et Alberti IV. quem defunctus patrem habuit, digreditur, verba saepe ex Cicerone pro Marcello mutuatus, et Scripturae textibus loca Poetarum contemperans. Altum de hac Oratione, quae lucem

certo mereretur, in *Actis Conc. Flor. in Odor. Raynaldi Hist. Eccl. in Struvii Corpore Hist. Germ. fontium alioquin feraci silentium.*

XVI. fol. 54. Sermo factus et recitatus per magistrum petrum de castelleto ordinis heremitarum sancti Augustini in exequiis quondam illustrissimi domini domini Jobannis galeatz vicecomitis ducis mediolani papie virtutumque comitis, atque bononie, pisarum, Senarum, et perusii domini in ciuitate mediolani et eius pallatio die XX. octob. hora XXI. anno domini 1402. Indictione quinta. (10) Initium: Heu princeps et magistratus heu presules et ingens senatus heu nobiles ac ciuium apparatus &c. Extat impressus in *Murat. Scriptt. Rer. Ital. T. XIV. p. 1021.* et notat *Argelatus Bibl. Scriptt. Mediol. T. I. P. 2. col. 341.* utut phrasi scholastica exaratum aliis praelatum fuisse, quod Orator stirpem Ducis usque ad Aeneam perduxerit. De illo etiam *Offingerus in Bibl. Augustin. p. 217.*

XVII. fol. 59. Sermo factus in commemoratione depositionis quondam Serenissimi Principis Alberti Regis Romanorum Florentie. 1441. Incipit: Non cogitabam apud me princeps Illustris geminum dolorem ipsum bodierno die lugubriter esse deplorandum &c. Perpetua paene est ad Viennam, quam matrem urbium mundi, matrem mestissimam, matrem serenissimam adpellari audis, ἀποροσφῆ. De animulo, de corculo suo loquitur Orator, ut anum praeficam credas potius. Itaque vix mihi persuadeo

2787

CODICES

2788

luadeo, publice decantatam fu-
isse hanc Naeniam. Interim tamen
firmat illud, quod Eberb. Win-
deckius in vita Sigism. de Alberto
memorat: vnd wart derselbe Ko-
nig also sere geclaget von edeln
vnd vnedeln, von reich vnd armen,
also kein Konig sint Christus ge-
purt ye geclaget wart.

XVIII. fol. 61. Sermo dictus
per Andream Holes anglicum Cu-
bicularium s. d. n. anno a natiuitate
domini M. CCCC. XXXIII. in
hospitalem anglicorum Rome, in festo
sancti Thome martiris cantuarien-
sis quondam archiepiscopi, in pre-
sencia. VII. Reuerendissimorum
dominorum Cardinalium, et mul-
torum honorabilium prelatorum, in

cujus sermonis exordio metricè plan-
git mortem magistri Guillermi Cer-
teyn anglici in artibus Iure cano-
nico et Theologia graduati, flori-
dique poete, et primarij Anglica-
ne nationis in vrbe, qui in pallatio
apostolico et dicto festo sancti Tho-
me reuolutis annis, dum in humanis
agebat onus predicandi sustinens,
die Martis nona mensis septembris
Anno a natiuitate domini M. CCCC.
XXXII. verus christi confessor,
impleuit fati diem, similiter san-
ctus Thomas, ut refert Historia,
martirium subiit die martis. Hec
premittuntur ad clariorem metri se-
quentis intellectum. Metrum por-
ro irato tentatum Apolline sic in-
fit:

*Pontificis summi fratres, quasi sidera solem
Lustrantes ipsum, reliqui patres et amici
Constantes rogo vos nunc mecum plangite tristes &c.*

Sequitur acris in mortem et mar-
tem (diem obitus) declamatio.

Ad vitam Guilelmi paene nihil,
quam:

*Artibus instruxit hunc anglia, Iura docebat
Post bononia, sed scripture mistica sacre
Roma caput mundi. Tres hec fecere poetam.*

Sub finem Deum Poeta adpellat, ut molliter dicam, ridicule:

*Si fas est dicere, dicam
Pace tua, poteras fecisse decentius istud
Et properasse minus, donec misisset ad urbem
Anglia personam, que semper in omnibus eius
Supportasset onus &c.*

Succedit aliud oratione profa
Elogium et demum Sermo de
Thoma Cantuariensi in illud: Tu

es sacerdos in eternum. Pf. CIX.
hoc initio: Hec brevis verborum
series ab ore primordialiter ema-
nans

nans prophético &c. Nec *Andreae Holles*, nec *Guil. Certeyn* meminit *Tannerus* in *Bibl. Brit.*

XIX. fol. 71. Incipit tractatus de usuris Editus a *laurentio de Ricolfis* (*Ridolphis*, *Rodulphis*) de *florentia*. In nomine ihesu christi eiusque matris dulcissime virginis gloriose. beatorumque *Georgij* et *Sebastiani* martirum. Amen. Plurimorum aures crebro pulsatus eloquio &c. Ad calcem primo legitur: Hoc opusculum perfeci ego *laurencius de Ridolphis* doctor minimus actu legens ordinarie in nostro generali studio florentino die XIII. februarij Anno dominice Incarnationis M. CCCC. III°. Sit ergo laus &c. Dein minio: Explicit tractatus de usuris et earum speciebus Excellentissimi utriusque Iuris doctoris domini *Laurencij de Ridolphis* florentini &c. scriptus ibidem florentie Sub anno 1440. Sequitur Tabula. Editus est Tractatus hic *Pisciae* 1490. f. et in *Tract. Tractat. Venet.* 1584. T. VII. fol. 15. De Autore adi *Panzirolum* L. III. c. 30. et *M. Mantuae Epit. Viror. illustr.* ubi tamen in edit. *Cbr. Godof. Hoffmanni Lips.* 1721. p. 480. floruisse illum 1503. σφαλμα impreforis est.

XX. fol. 173. Formula confitendi peccata ad omnia christiani hominis officia exacta, quae incipit: Confessor venientem ad confessionem benigne et caritative eum recipiat, et ut pateat via interrogandi discrete petat &c. Edidere ejusmodi Confessionalia seu Interrogatoria in Italia *Antoni-*

nus Florentinus, *Bartholomaeus de Chaymis* et *Ant. de Butrio*, in *Hispania Andreas Ep. Megarensis*, sed nostrum iis succinctius, et fortasse ex iis decerptum est.

XXI. fol. 179. sine titulo *Ephraem Syri Nisibitani* Monachi Sec. IV. Scriptoris *Sermones* XX. ab *Ambrosio Traversario* Coenobita *Camaldulensi* an. 1439. *Florentiae* extincto e graeco latine redditi, cum ejusdem *Praef. ad Cosmum Medicen*, quae incipit: *Peregrinum nuper offendi e Syria* &c. quamque post alios integram dedit *Lambecius* noster L. I. p. 119. edit. *Kollar. col.* 215. ut de plagio convinceret *Gerardum Vossium* Praep. *Tungrensem*, qui in sua *Ephraemi* versione *Romae* primum 1589 — 93. edita elegantem illam *Praefationis* ἀλληγορίαν suam fecisset nulla usquam *Ambrosii* mentione injecta. Qua in re injurium *Vossio* extitisse *Lambecium* laus illa demonstrat, qua vir ille *Ambrosium* afficit in T. II. dedicatoria ad *Clementem* VIII. ut recte observavit *Joseph Sim. Afsemanus* in *Prolegom.* ad T. I. *Opp. S. Ephraem, Romae* 1732. c. 7. f. *Sermones* porro Codex noster censet XX. non, ut visum *Lambecio*, XXI. eodem ordine, quo se in edit. principe *Florentiae* per *Ant. Miscbominum* 1481. 4. excipiunt, illo solum discrimine, quod nobis Sermo IV. de *Vita et exercitatione monastica* in duos divisus sit ita, ut ab iis verbis: *Venite dilectissimi mei, venite patres et fratres mei* &c. novus Sermo inscriptus de *Vita monasti-*

2791

C O D I C E S

2792

ca ordiatur. Cetera de Autore et Interprete nostro plenissime executus est supra cit. *Josepb Sim. Assemanus*, cui, quod addam, non habeo, nisi existere, praeter Editiones ab eo allatas, saltem duas sine nota temporis: unam V. Sermonum in 4. alteram in fol. quae plures Sermones complectitur. Editionem item *Brixianam* 1490. quam illi, ut ait, videre non licuit, factam esse per *Presbyterum Baptistam Farfengo* 1490 die 15. Novembris, 4. ut nil dicam de altera ejusd. loci et anni, quam e *Caillio*, non optimae fidei teste, opera *Jacobi Britannici* peractam excitat *Maittairius*.

XXII. fol. 251. Commentarii litis in concilio *Basileensi* agitatae de Praepositura Cathedralis Ecclesiae *Wratislaviensis*, quam *Eugenius IV.* an. 1438. contulerat *Nicolao Goltberg* ejusdem Ecclesiae Canonico, quamque sibi vindicatum ibat *συμμυσνης* ejus *Nicolaus Gramus* corruptis *Conradi* fedis illius Episcopi literis. Non invenio in *Actis Concil.* nec in *Georgischi Regest. Chron. Dipl.*

XXIII. fol. 259. Oratoris *FridERICI Ciliae* Comitissae ad Papam *Eugenium IV.* Adlocutio, qua hunc de perpetua Domini sui observantia securum esse jubet. Initium est: *Existimat certe beatissime pater Illustris princeps et dominus mihi gratiosus atque benefactor dominus Fridericus Cilie Ortemburge Sagorieque &c. dominus B. V. deuotus filius &c.* Inter alia: *Superioribus namque diebus pulsatus nimia sollicitudine per*

*multos non tantum minores solum, similiter pulsavit illum R. p. d. ludouicus Aquilegen. patriarcha suis epistolis atque multiplicibus nuntijs quibus nescio variis persuasionibus, ut tue S. gubernacione derelicta se ad conuentum quendam loci Basilien. diuerteret illique se adiungeret et adhereret, adhesionemque Regis Romanorum (Alberti) et expressam suam declarationem illi procuraret &c. sed perstiturum illum fortiter contra haec omnia &c. Acta haec post an. 1436. quo Sigismundus Cilejae Comites Principum titulo condecoravit, non extant in *Collect. Concc.* nec in *Mansii Suppl.* Oratoris nomen paullo inferius innotescet.*

XXIV. fol. 259. p. 2. Schema *Repetitionis* pro consequendo gradu in Iure Canonico in Academia *Patavina*. Incipit: *Constitutus in presentia Venerabilis et eximii Decretorum Doctoris domini Antonij Zeno Canonici Papiensis et Vicarij in spiritualibus generalis Reverendissimi in christo patris et domini domini Petri Donato dei et apostolice sedis gratia Episcopi Paduani &c.* Scriptum igitur ante an. 1447. quo *Petrus Donatus* obiit. Speciminis loco differitur in *Can. Sententia pastoris XI. q. 3.* et in *C. cum teneamur de app.* Quibus excussis subditur: *Postea surge et dic: Egregij &c. expeditus de punctis mihi per dominationes v. assignatis me submitto.* Item *Elenchus expensarum in primo examine sat luculentarum*, in quo praeter *trumpetas* et *Cyrotecas* etiam 16. *Angastarii* (Ang-

2793

H O M I L E T I C I.

2794

(Angster, *vas collo angusto*) vini censentur, et ex quo conjici possit, quanti sapientiam emerint tot Exteri aetate illa *Patavium* celebrantes.

XXV. fol. 261. p. 2. Acta quaedam ad *Jobannem Karschaw* licentiatum in Decretis spectantia et I. quidem *Decretum*, quo is *FridERICI II. Comitis Ciliae* et *Ulrici filii ejus domesticus, commensalis, procurator causarum, Consiliarius ac Iurista* constituitur, datum *Cilie die Iouis penultima mens. Julij Anno domini M^o. CCCC^o. XXXIX.* II. *Mandatum generale ad lites, et singillatim ad litem de Decimis in Tyschakentburn* colligi consuetis a Praeposito et Capitulo Ecclesiae *Zagrabiensis* Comitibus *Ciliae* motam eidem *Jobanni* ab iisdem Comitibus datum. *Actum Cilie Aquilegen. Dioc. in Castro nostro Turri communiter appellato. Sub Anno domini MCCCCXXXIX. Indictione Secunda die Sexta mensis Augusti &c.* Adduntur nomina testium *Barth. Glanyr* et *Job. Maysenrätter* Armigeror. et *Nic. Dawse* oppidi *Pressperg* civis. Item Notarii *Job. Gerhardi de Yssmbusen* clerici *Magunt.* Dioec. III. *Breve Eligibilitatis* eidem *Jobanni Karschaw* motu proprio datum, ut puto, ab *Eugenio IV.* ad quaevis Beneficia Dioecesium *Aquilej. Salzburg. Regensb. Bismunt. Gnezn. et Moguntinae.* Sub *V. Idus Marcij Anno Septimo.* Itaque 1438. IV. *Libellus supplex* ejusdem ad Papam, ut in causam *Nicolai Gramus*, de quo supra, Praeposituram *Wratista-*
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

viensem mala fide adepti inquiri jubeat. Sine nota chronologica. V. *Breve Eligibilitatis* ad intercessionem *FridERICI Ciliae* Comitibus, ut videtur, datum *Martino* plebano parochialis Ecclesiae in *Tiuers* et Comitibus praedicti Cancellario ad beneficia Dioec. *Aquilej. Salzburg. et Strigon.* VI. *Litterae Eugenii Papae* ad *Fridericum* praedictum, quae Responsum ad *Orationem* supra N^o. 23. indicatam continent, Comitibus propositum laudant, petuntque, ut etiam *Albertum* Regem Rom. in eandem sententiam pertrahat, cum sit apud illum nemo tum etate, tum amplitudine, tum auctoritate et prudentia tum affinitate (per *Barbaram Ciliensem*) maioris vel gratie vel auctoritatis. Absit nota temporis. VII. *Formula Examinis* testium in causa *Decimarum* supra N^o. 2. memoratarum. *Florentiae* in Concilio eam agitatam fuisse patet ex interrogatione: *que sit recta via de Moravia, Bohemia et per que loca ad florentiam.* Subjungitur: *Si in hac via fuit in krainburga in laybaco et zagrabia, quare per viam illam transiit cum non sit regia &c.* VIII. *Libellus supplex* Comitibus *FridERICI* et *Ulrici* ad *Eugenium* Papam, ut de hac *Decimarum* causa iudices et arbitros constituat. Subjectum est *Eugenii* mandatum, ut *Magister Baptista de Roma* Auditor cognoscat, cui et momenta rationum praedictorum Comitibus contra Capitulum *Zagrabiense* subpeditantur. Lis, ut ait *Balth. Ad. Kercselichius Hist. eccl. Zagrab.*
T P.

P. I. p. 172. terminata *Compromisso* anno 1441. 8. Sept. inito. *Decimæ comitibus superstitibus relicta, dein ad Capitulum devolvendæ.*

XXVI. fol. 266. p. 2. Instrumenta litis *Martini de Reyffnitz presbyteri Aquilegen. ac Rectoris parochialis ecclesie in Wodicz et Capelle sancti Maximiliani in Cilia aduersus Ludovicum (puto Scarpum de Mediarota) assumptum Patriarcham Aquilegen. Andream Doring plebanum in Haspach Archidiaconum Marchie Slauiæ, priorem et totum Conuentum in Girio (Geyrach) ordinis Cartusien. fratrem Johannem de Morauia occupatorem Capelle sancti Maximiliani in Cilia et Georgium Vriel occupatorem parochialis ecclesie in Wodicz et Fredericum Comitem Cilie, Fredericum Rater, Henricum Erlawer, Johannem Ryemstain et Jacobum Krisnicz de Krainburg — super nonnullis spoliationibus, Intrusionibus, occupationibus et detentionibus beneficiorum rerumque et bonorum suorum &c. Auditor a Pontifice datus *Valentinus Episcopus Ortanus*, qui 1439. Concilio *Florent.* interfuit, cuique *Martinus* actor fufum accusationis libellum offert. Neque de hoc, neque de superiore N°. in *Annal. Ducat. Styriae Aquil. Iulii Caesaris* quidquam inuenio.*

XXVII. fol. 271. *Variae Transactiones* itidem ad Concilium *Florentinum* pertinentes. 1^{mo}. *Wladislai Ep. Wladislaviensis in Polonia Mandatum in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis*

*pena datum Capitulo suo, ut Martinum Pauli de Stals presb. Gneznen. Dioeces. in possessionem Archidiaconatus Pomeranie immittat. Bladislauie in domo venerabilis domini Johannis de Newesch Decani Ecclesie nostre Wladislauien. circa eandem ecclesiam situata. Anno Domini MCCCCXXXVI. Indiæ. Quartadecima. Pontificatus Eugenii PP. IIII. anno sexto die lune. XXVI. mensis Marcij. Testes Swantheschbaus Archidiac. Johannes Cust. Wlodko Canon. Notarius Albertus Stanislai de Pyramie. Adhaerent momenta Causae supradicti Martini de Stals contra quendam Stephanum Worrath, qui se ejus promotioni ad Archidiaconatum opposuit. 2^o. Libellus supplex ad Eugenium P. M. supra memorati Johannis Karschaw Rectoris parochialis ecclesiae in Schippenpil Warmiens. Dioeces. ut pluribus beneficiis simul frui possit. 3^{io}. Protestatio Procuratoris Praepositi et Capituli Zagrabiensis contra Acta quaedam in causa *Decimarum*, de qua supra N°. XXV. 4^o. Syngrapha, per quam Johannes Karschaw Decret. Doctor credit *Martino Pauli de Stals Pomeraniae Archidiacono* triginta et unum Aureos florenos. *An. a Natiuitate domini MCCCCXXXIX. Indiæ. Secunda die uero penultima mensis Nouembris, pontificatus Eugenii pape quarti Anno nono florencie ante fores ecclesie beate Marie nouelle. Testes M. Adrianus de Hee in Registro Supplicationum Pape Scriptor, Johannes de Firmo et Job. Volkel Clerici et laicus**

2797

HOMILETICI.

2798

laicus *Tornacen. Leodien. et Patauien.* Dioec. Notarius *Georg. Heydingk de Laybaco* clericus *Aquilegien.* Dioec. Quanto temporis et crumenae dispendio jura tunc sua Septentrionales quaerere oportuit!

XXVIII. fol. 275. Absque titulo: *Defensorium Iuris*, quod incipit: *Quia bone rei consilium dare &c.* Autor mox se prodit: *Ideo ego Gerardus Monachus Rivii sancte Marie Cistercien. ordinis videns &c.* Conditum fuit teste *de Visch* in *Bibl. Scriptt. Ord.* p. 386. Coenobium hoc in *Holsatia* et Dioec. *Slesvicensi* anno 1242. opusculum vero praefens jam Sec. XV. iterato in *Libro*, uti subscribitur, plurimorum *Tractatum Iuris* editum fuit, puta, bis *S. I.* et *a. f. dein Argentinae* 1488. 1490. 1491. f. ut mirari subeat, in *Bibl. med. et inf. Lat.* nonnisi Cod. mspt. *Quedlinburgensem* excitari a *Fabricio*, dicique *Gerardum Monachum de Imo S. Mariae*, quem locum in *Elencho Monasteriorum Ord. Cist.* apud *de Visch* cit. frustra quaesieris, quanquam nec in ipsa ejus *Bibliotheca* aliud invenias, quam *Gerardum de Riue.* Ceterum conatus est vir hic in suo *Tractatu* omnis generis *Exceptiones Reis* adversus *Actores* suggerere.

XXIX. fol. 291. Acta varia in *Curia Romana* et *Florentiae* minoris momenti. 1^{mo}. Protestatio quaedam *Procuratoris Comitum Ciliae* in causa *Decimarum* contra *Capitulum Zagrabiense* sursum ad N. XXV. pertinens. 2^{do}. Libelli qui-

dam supplices *Privatorum* ad *Papam* pro obtinendis beneficiis et gratiis. 3^{to}. *Instrumenta litis* inter *Vlricum Perl* Rectorem parochialis ecclesiae in *Cisterstorff* Dioec. *Patauensis*, et *Abbatem Fridericum* *Conventumque Ord. Cisterc.* cujus nomen non exprimitur, qui tamen est *Claravallensis* seu *Zwetlensis Austriae*, in causa *Decimarum*. Adtingitur negotium istud in *Bern. Linck Annalib. Austr. Claravall.* T. II. ad an. 1423. et 1424. quo anno defuncto *Vlrico Perl* Ecclesia in *Cisterstorff* Rectorem e gremio *Conventus* accepit. 4^{to}. Prolixum rursus *Scriptum* pro *Comitibus Ciliae* in causa *Decimarum* contra *Zagrabienses*.

XXX. fol. 302. p. 2. *Wladislai Poloniae VI. Hungariae I. Regis* Epistolae III. quibus se *Hungarie* Regnum consecutum esse significat. *Prima* est ad *Eugenium* *Papam* data *Cracovia X. die mens. Marcij Anno &c. XL.* in qua post gratulationem de reductis ad unionem *Graecis* et *Armenis*: *Prelati et Barones Regni Hungariae* ea mente, ut sibi et regno de futuro Rege feliciter et opportune prouiderent, ad conspectum nostrum in *Ciuitate Cracouiensi* accesserunt, et inibi post habitam, quam tanti ponderis res exigebat, deliberationem fulti auctoritate sufficienti et mandato speciali personam nostram unanimitate voto et desiderio concorditer in suum dominum et Regem *Regni Vngariae* predicti totius *Regni* ejusdem nomine nominauerunt et elegerunt, electione huiusmodi die be-

T 2

sterna

*sterna in ecclesia Cathedrali Cracouiensi sub missarum solempnijs, et in presencia Prelatorum Baronum et Nobilium ac populi multitudine infinita per eosdem publicata pecierunt humiliter et deuote, quatenus huiusmodi ipsorum faueremus uotis et electioni predictae preberemus assensum — Nos itaque — resoluti in lacrimas assensum dedimus &c. Subscriptio: *Wladislaus dei gratia Rex polonie et Electus Rex Regni Vngarie, lithuanieque princeps supremus, et heres Russie.* Tota Epistola aequae luce digna, ac *Secunda ad Fridericum Rom. Regem*, quam obiter adtingo, utpote a *Kollario* jam T. II. *Analect.* col. 829. publicatam. Tertia inscribitur: *Copia litere quam dominus Rex Polonie Magistro Prussie et Ducibus Slesie, ceterisque principibus amicis suis misit.* Data et ipsa *Cracouie Anno &c. XL^m.* eademque paene phrasi conscripta. Nominantur in ea Oratores *Hungari* prout occurrunt in *Cl. Praji Annal. Reg. Hung. P. II.* p. 339. qui verisimiliter, quemadmodum secundam ex *Analect.* in Commentarios suos transtulit, ita et primam et tertiam hanc Epistolam inseruisset, si illarum habuisset notitiam. Concluditur haec: *Magna nobis fiducia pollicemur, quod in hijs, que contra fidei hostes Regno illi infestissimos nos agere contigerit, vestra nobis consilia et auxilia tanquam Principum Catholicorum non debeant deesse, quos semper beniuolos sensimus ad beneplacita nostra, ut sic vestris aliorumque Regum et principum amicicij circum-**

cincti, hijs duobus Regnis amplissimis, que in hoc Europe angulo murus et scutum sunt fidelium, contra barbaras naciones — preeffe valeamus &c.

XXXI. fol. 304. Rurfus Libelli supplices ad Curiam Rom. alter pro *Hinrico Fewcchter* Parcho in *Cisterstorff* contra Abbatem et Conuentum in *Czbetel* Ord. Cist. in *Austria* caussa *Decimarum*; alter *Jo. K.* fortasse *Johannis Karschaw*, pro retinendis pluribus beneficiis.

XXXII. fol. 305. Repetitur *Lefus* ille in *Albertum II. Rom. Imp.* qui jam N^o. XVII. indicatus est.

XXXIII. fol. 306. p. 2. Epistola inscripta: *Preclaro viro G. B.* qua quis, et quidem, ut epistola docet, haud immerito, confitetur, non eam sibi esse eloquentiam, ut illustri cujusdam Principis Oratorem agere possit. Initium: *Pro mutua beniuolentia, cui erga me facis. Doctissime vir. Ut mearum nonnulla literarum studia &c.* Si quid coniecto, *G. B. Gasparinus Barzizius* est, inter cujus tamen literas a *Furietto* editas epistolam huic ἀποστολὴν non inuenio.

XXXIV. fol. 307. Instrumentum litis pertinens ad parochialem ecclesiam sancti *Canciani Krainburge* Dioec. *Aquilej.*

XXXV. fol. 308. p. 2. Epistola cujusdam in *Curia Rom.* *Advocati* ad *Fridericum* recens electum *Rom. Regem*, qua primum significat, se ab *Alberto* antecessore ejus constitutum fuisse *advocatum &c. omnium causarum Regnorum Vngarie et Bobemiæ*, et eun-

2801

H O M I L E T I C I.

2802

eandem fidem operamque *Friderico* addicit. Dein Librum a se editum et *Alberto* destinatum promittit, *quo omnia que cum Grecis (Florentiae) religiosissime gesta, tractata, disputata, ac conuenta, conclusa firmatae sunt, adscripserim, nullo addito uel diminuto ex hijs que a die prima, qua aduenerunt, usque ad diem recessus egerunt.* Quo loco adducor, ut credam eum esse *Andream de Sancta Cruce* Patritium Rom. et apostolici consistorii Advocatum, cuius *Disputationes seu Collationes inter Latinos et Graecos in Gen. Concilio Flor. habitas* e Cod. *Vatic.* eruit *Horat. Iustinianus*. Habentur illae *Colleg. Labb. Concc. T. XVIII.* edit. *Venet. col. 915.* conscriptae in modum *Dialogi* inter *Ludov. Pontanum* protonot. apost. et ipsum *Autorem*, qui porro in *epistola* sua *Fridericum* ad protegendam Sedem apostolicam exemplo *Sigismundi* Imp. et *Philippi Burgundiae Ducis* hortatur. Addit: *Nunc christianissimus Rex francie* (in *Conventu Bituric. 1440.*) *detestatus est nephantissimorum virorum, qui Basilee fuerunt, conatus ac S. D. Eugenio pape obedientiam puram se prestatum nuncijs declaravit. Taceo reges Castelle et byspaniarum et portugalie et Anglie et Scocie, qui ut principes christianissimi nunquam a petri sede ac a Romano pontifice hijs in scandalis deuiarunt &c.* Dein contrarium sentientes describit. *Epistola* nota temporis caret.

XXXVI. fol. 309. Variis demum Libellorum supplicum for-

mulis in caussis Privatorum Codex terminatur, quem ab Homine Germano, sed in Italia, conscriptum autumo.

DCCLXIV.

Codex chartaceus lat. Sec. ²¹² XV. Folior. nunc 154. f. maximam partem per duas columnas scriptus sequentibus constat: I. rubro: *Incipit optimus tractatus de ymagine dei et hominis.* Impressit *Tractatum* hunc *Fridericus Creussner Norimbergae 1480.* sub titulo: *Collecta magistralia per aduentum domini de formatione hominis moralis f. constantem XVI. Sermonibus*, quorum singulis thema est: *Faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram &c.* quique de natura et membris hominis ex ordine physice et moraliter differunt. *Codex* noster in *Serm. XIV.* ante medium in iis verbis: *tota ipsa temptatio debet appellari Ergo* — deficit. *Autorem* horum *Sermonum* olim in *Memorab. Bibl. Garell.* germanice editis *Viennae 1780.* p. 80. 4. dixi *Robertum Caraczolum de Licio* e *Franciscano Sodali Episcopum Aquinatem* et famosum aetate sua oratorem sacrum cum, quod ii cum aliis hujus viri *Sermonibus* eodem typo expressis eodem continerentur volumine, ut etiam observavit *Röderus* in *Catal. Editt. Norimb. Sec. XV.* tum, quod eos post *Guil. Caveum Vol. II. Hist. lit.* p. 197. etiam a *Maittaire* viderem *Roberto* tribui. Nunc vero rem in medio

T 3

medio